



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

182. Cum quibus qualitatibus fieri debeat institutio, & quæ inutiliter ei adjiciantur conditiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

Questio 180. An per appellationem suspendatur executio institutionis?

Respondeo: dum processum & appellatum est extrajudicialiter, appellatio non suspendit executionem institutionis. Lott. l. 2. q. 13. n. 81. Garc. p. 9. c. 4. n. 19. ex Lancell. de attentatis. p. 2. c. 4. n. 614. & 627. Cuchio, & Qui de appellatione extrajudiciali intelligunt c. constitutis. de appell. Unde addit Garc. n. 20. ex eod. Lancell. quod dum institutio non habet vim diffinitivam, sed fuit facta extrajudicialiter sine contradicatore, & capta possessio pendente tali appellatione, nequaquam censeri debent pro attentatis; cum eo casu appellatio tanquam interlocutoria non debeat facere attentata, ut Lancell. Quod si tamen processum judicialiter, & institutio facta in contradictorio judicio seu sententia lata super ea facienda (licet enim isti actus electivi & provisiivi sint extrajudiciales, nihil tamen est, quin etiam judicialiter promoveri possint ex alterius legitima, vel saltem colorata contradictione. Lott. n. 85. & 86. afferens decis. Rotæ) causa est appellabilis, & appellatio suspendit executionem institutionis, & institutio facta pendente tali appellatione à sententia Ordinarii, uti & subsecuta acceptio possessionis sunt attentata; Lott. loc. cit. à n. 30. juxta plures Rotæ decis. Garc. loc. cit. n. 16. citans Jo. And. Lap. Franc. & c. item n. 21. citans Brederod. de appell. p. 1. tit. 20. Marcum Ant. Genuens, & c.

Questio 181. An, & qualiter institutio sit irrita, si facta neglecto presentato, vel etiam absque consensu & presentatione patroni?

Respondeo: esse irritam ipso jure, si fiat neglecto vel spreto patrono. Barb. l. 3. juris Eccl. c. 12. num. 163. Castrop. cit. p. 9. n. 5. juxta c. discernimus. 16. q. 7. & gl. ibidem. Nec obstat. c. illud. de jure patronatus, ubi institutio facta sine presentatione illorum, ad quos pertinebat, non dicitur irrita; sed irritanda; cum satis tritum sit in jure, rō irritanda saepe sumi pro declaranda irrita. Castrop; ibid. sic inquires notasse Azor. p. 2. l. 6. c. 22. q. 8. Gonz. ad reg. 8. gl. 56. n. 78. Unde id sic limitat, vel potius declarat Barbof. quod talis institutio, seu potius collatio facta ab Episcopo vel alio inferiore, ad quem spectat institutio, sine consensu & presentatione patroni, sit & maneat firma, patrono non reclamante, vel presentante alium intra terminum datum ad presentandum; irritetur autem, & ex tunc à jure reputetur irrita, ex quo patronus presentat alium, aut expresse contradicit; eod quod tunc, & non aliter spernatur patronus; citat pro hoc Garc. p. 5. c. 9. n. 232. Riccium. in pr. fori Eccles. resol. 174. Paris. de resign. l. 8. q. 10. n. 11. Zerol. in pr. Episc. p. 1. v. jus patronatus. §. 8. dub. 3. & c. Idem tenet Less. l. 2. de just. c. 34. n. 39. inquires, talem collationem evanescere, si patronus intra tempus sibi datum se opponat; si autem se non opponat, manere validam; Unde etiam valebit institutio facta incito patrono, si is postmodum in eam consentiat. Item si Episcopus, presente & tacente patrono, aliquem instituat; Bassæ. To. 2. v. benef. §. 5. n. 14. citans Lambertinum.

Questio 182. Cum quibus qualitatibus fieri debeat institutio, & que inutiliter ei adjiciantur conditiones.

Respondeo ad primum: quemadmodum presentatio, ita & institutio fieri nequit, nisi cum qualitatibus requisitis secundum institutionem.

P. Lauren. Fori Benef. Tom. II,

nem & naturam beneficii, sive requisitis à fundatore in limine foundationis, et si juri communi contrariis, aut aliàs à jure communi, dum ex legibus foundationis non contrariantur, Corrad. l. 4. c. 6. n. 41. & 42. cum communi.

2. Respondeo ad secundum: ex conditiones inutiliter adjiciuntur institutioni (intellige, à fundatore) quæ vel naturæ, seu secundum rerum naturam sunt impossibiles, aut impossibilibus æquivalentur ob nimiam difficultatem, vel impossibiles sunt, aut contra substantiam beneficii, vel contra substantiam testamenti, vel denique contra perpetuam legum prohibitionem eas improbantur; Lott. l. 1. q. 32. n. 21. & seq. Vide dicta sub initium part. 1. de legibus adjectis fundationi beneficii.

Questio 183. An, & qualiter institutio fieri possit extra territorium & diæcesin habentium institueret?

Respondeo: quemadmodum Episcopus extra propriam diæcesin electiones confirmare vel infirmare, ita etiam instituire potest in beneficiis; contradicatore tamen non apparente; ac sic non instituire in judicio contradictorio. Idem est de aliis inferioribus institutoribus (& nominatim de Vicario generali Episcopi. Castrop. de benef. tr. 13. d. 2. p. 30. n. 17. Garc. p. 5. c. 8. n. 138. juncto 142.) est enim institutio actus voluntarius & extrajudicialis. Corrad. in pr. benef. l. 4. c. 2. n. 84. citans Franc. in c. fin. de elect. n. 9. Gonz. ad reg. 8. gl. 62. n. 9. & c. Garc. loc. cit. Castrop. loc. cit. Quod si autem ad institutionem procederetur (idem est de confirmatione) cum causa cognitione & discussione, intellige, judiciali contradicatore apparente, non potest fieri extra territorium, nec causa cognitio seu processus, nec institutio, nec confirmatio; si fit in sententia nisi de consensu judicis loci, & partibus non contradicentibus; quamvis lata sententiâ intra territorium de instituendo, institutio ipsa fieri possit extra territorium; quia jam est actus extrajudicialis & voluntaria jurisdictionis. Garc. loc. cit. citans Lamb. p. 2. l. 2. q. 2. a. 6. & 7. & Sanch. de matr. l. 3. d. 8. n. 6.

Questio 184. Qualiter facienda institutio, dum ex diversis qualitatibus spectat ad eundem presentare, & institueret?

Respondeo: secundum diversos casus, quos congerit Lamb. h. tr. p. 3. c. 2. a. 19. apud Corrad. l. 4. c. 7. n. 20. non debere unico actu expediri institutionem & presentationem; sed separatim; prius nimirum faciendo presentationem, & postea institutionem: primò dum Episcopus foret simul Abbas alterius Ecclesiæ, in qua Episcopus haberet jus instituendi in aliqua Ecclesia patronata, & qua Abbas jus patronatus in eadem Ecclesia; quamvis, ut ait Corrad. citans pro hoc c. olim. de sent. & rejud. & ibi Felin. n. 1. & 2. in hoc casu melius esset, ut quæ Abbas per procuratorem suum presentet, & ipse, quæ Episcopus presentatum instituat. Secundò: dum quis ratione suæ prælaturæ haberet instituere in beneficio, in quo ratione patrimonii sui habet jus patronatus: est enim hoc jus patronatus laicale, & sic separatim ab Ecclesia & dicta prælatura. Tertio: dum quis habens jus patronatus, & simul instituere, habet compatronos; tunc enim ut compatronus presentabit cum aliis compatronis, & dein instituit. Quarto: dum compromittitur jus presentandi seu presentare in habentem instituere. Quinto: